



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio I. De efficacia voluntatis diuinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

illos qui non fiunt, vbi nullus apparet iunctus esse actus efficax. Deinde habet Deus voluntatem saluandi omnes homines si velint: illa voluntas prior est electione mediorum, & est verè libera. Deinde nulla ratio cogit negare actus inefficaces & conditionatos, cum enim actus Dei prius existat essentialiter quàm fiat mutatio in obiecto per quam nullo modo constituitur, non est necesse intelligere mutationem vllam physicā in obiecto vt intelligatur actus liber, sed sufficit mutatio tantum moralis, non potes autem inuenire actum vllum inefficacem, in quo obiectum non mutetur moraliter v.g. cum Deus vult salutem omnium hominum, transit illa salus à statu purè possibili ad statum futuri sub conditione. Cum Deus videt si taliter vocetur Anti-Christus salutem assequetur, videt salutem Anti-Christi futuram, si talis ponatur vocatio. Idem dico de dispensatione voti, condonatione peccati, dissolutione contractus, vbi semper moralis mutatio interuenit; Deus enim remittit ius quod habebat, vel destruit ius quod habebat alter, vnde manet sublatum votum; condonatum peccatum, contractus dissolutus, aequè ac si actus in Deo existens causatus esset de nouo, quod enim mutatio causata in obiecto, moralis sit vel physica parum interest, sicut & parum interest quod actus de nouo productus sit, vel quod æquiualeat actui qui productus esset de nouo. Nego autem esse impossibilem mutationem moralem sine præuia mutatione physica, in qua nego illam necessariò fundari, sicut & nego illam esse duntaxat denominationem ab actu Dei, est enim aliquid causatum per illum actum, nempe ius quod est destructum, & alia huiusmodi quæ in creatis etiam fieri possunt sine mutatione physica, vt patet in pura omissione, & multò magis in Deo qui habet aliquid æquiualens physicæ mutationi.

Ad tertiam Respon. posse quoque Deum velle medium propter aliquem finem, ad quem illud ex sua natura non ordinetur, vt rectè probat argumentum. Christus enim v. gr. fuit ordinatus ad salutem hominum, ad quam poterat non ordinari. Vt autem respondeam argumento dico iuxta principia prius posita, illam ordinationem essentialiter & formaliter esse ipsum actum Dei necessarium qui propter infinitatem & eminentiam potest sine additione vlla vel detractone, esse volitio, & nolitio eiusdem obiecti, prout connotat tamen mutationem moralem factam in ipso medio, nam illud nunc post ordinationem moraliter alio modo se habet quàm ante ordinationem, ex eo quod sit propter illud, non propter aliud id est sit causa illius & non alterius, quod sufficit ad diuersam denominationem.

Quomodo
circa ne-
gationes.

Ad quartam Resp. quod quoties Deus vult aliquam negationem actu positiuo, tunc moralis sit mutatio circa talem negationem, quatenus forma ei opposita incipit esse impossibilis; posset autem esse pura omisio in Deo, sicut illa esse potest in voluntate creata, nisi obstarat summa perfectio prouidentiae, quæ ab æterno habet omnia digesta, & ordinata, sicque non se habet negatiuè circa res non futuras, sed positiuo actu tendit in omnia futura, & in omnia non futura.

QVÆSTIO III.

De reliquis proprietatibus voluntatis diuinae.

Explicatā libertate in qua totum latet Enigma voluntatis diuinae, non erit difficile quatuor alias eius proprietates exponere quæ adiunctæ sunt libertati, prima est efficacia, secunda immutabilitas, tertia ordo decretorum, quarta sanctitas quæ complectitur impeccabilitatem, & virtutes omnes.

IN tribus sita esse videtur hæc efficacia. Primò, quod voluntas Dei semper impleatur. Secundò, quod omnium rerum sit causa. Tertiò, quod se sola sufficiens sit ad faciendam in rerum natura nouam denominationem, & supplendum effectum formalem nouum.

Triplex
difficultas.

Ratio dubitandi primò est, quia nulla voluntas beneplaciti esse potest in Deo quæ non sit absoluta, ergo nulla est voluntas beneplaciti quæ non impleatur. Probo antecedens, si aliqua esset voluntas beneplaciti conditionata illa conditio necessariò esset ipsa voluntas Dei, v. gr. si dicat Deus volo saluare hominem si conuertatur, idem est, ac si dicat, volo saluare hominem, si voluero illi dare auxilia quibus video illum consenturum, hoc autem absurdum est, quia sic voluntas Dei erit conditio ad voluntatem Dei.

Secundò, voluntas Dei applicat omnipotentiam mediante intellectu, qui dirigit eam immediatè, ergo voluntas Dei mediatè solum concurret.

Tertiò, per solum actum voluntatis diuinae potest intelligi effectus formalis moralis nouus, extra Deum ergo per eundem intelligi etiam potest nouus effectus formalis physicus non est enim maior ratio vnius quàm alterius. Deinde per illud decretum Dei saltem virtualiter nouum, multæ debent explicari nouæ denominationes physicae, alioqui oportebit infinites multiplicare modos distinctos realiter, v.g. vbicatio, & duratio, vel sunt modi distincti vel explicantur per solum Dei decretum, v.g. possunt existere Petrus, locus Lugdunensis, & creatio Petri, quin Petrus sit in loco Lugdunensi, connotare locum, esse indistans est aliquid distinctum à Petro, loco, & creatione Petri, hoc autem nihil aliud est quàm decretum Dei creantis Petrum Lugduni, & non alibi, ergo per solum Dei decretum noua saluatur denominatio, & nouus effectus formalis. Idem argumentum fieri potest de duratione aliisque pluribus denominationibus physicis, quas per huiusmodi decreta explicamus facilius quàm per congeriem tot entitatum modalium.

Voluntas
Dei abso-
luta sem-
per imple-
tur.

Dico primò, voluntas Dei quoties absoluta est semper impletur, multæ tamen sunt voluntates conditionatæ quæ nunquam impleantur. Ita S. Thomas art. 6. quod immeritò Scotus negat.

Ratio est, quia si aliqua esset voluntas Dei absoluta quæ non impleteretur, deberet dari aliquid extra Deum, quod impediret operationem diuinæ omnipotentiae applicatæ per voluntatem efficacem: hoc autem statim patet esse impossibile quod autem aliqua detur voluntas Dei conditionata, quæ non impletur semper, constat ex voluntate conditionata saluandi omnes homines quam esse in Deo quæstione sequenti demonstrabitur.

Est imme-
diata re-
rum causa.

Dico secundò, voluntas Dei libera prima est & immediata causa omnium rerum non minus immediata quàm intellectus.

Ratio est, quia Deus est agens intellectuale, quod non agit per potentiam, nisi eo modo quo applicatur per voluntatem, alioqui si ex necessitate ageret, produceret omne quod potest, quod autem cōcurrat immediatè, patet, quia omnipotentia planè indifferens est ad quidlibet producendum, & intellectus etiam indifferens est, vt eam proximè dirigit, nisi accedat imperium voluntatis, ergo voluntas immediata est causa rerum per modum imperantis, intellectus per modum dirigentis, omnipotentia per modum exequentis.

Non suffi-
cit ad no-
uas deno-
minationes.

Dico tertiò, nullus effectus formalis aut denominatio noua physica extra Deum, esse vel concipi potest, per solum decretum intrinsecum Dei. Ita communiter

munitur Theologi omnes ac Philosophi contra quosdam Doctores, qui ut modos omnes exterminant putant saluari omnia posse, ac responderi omnibus argumentis quibus probantur modi, per solum Dei decretum virtualiter nouum.

Ratio autem contra illos est, quia si per solum decretum immanens posset explicari aliquis effectus formalis, explicari etiam posset quilibet, verbi gratia sine calore nouo, manus diceretur calida, per solum decretum Dei, aer erit lucidus, paries erit albus. Cur enim? materia ex non vnita, non incipiet dici vnita, per solum Dei decretum, & per illud idem decretum, non poterit dici alba, vel calida, nulla enim prorsus disparitas est. Deinde voluntas omnino immanenter operatur, ita ut nullus ab ea effectus procedat nisi per omnipotentiam, ergo per solum Dei decretum nullus effectus physicus oriri potest in rebus. Sed neque oportet recurrere ad decretum virtualiter nouum, nam illa virtualitas significat tantum, quod ille actus æquiualeat nouo actui voluntatis, & faciat totum quod faceret actus distinctus; sed actus distinctus, quamdiu est immanens, nihil facit extra voluntatem: ergo neque facit quidquam decretum illud nouum virtualiter. Denique ut intelligatur nouus effectus formalis physicus, debet esse aliquid in rebus quod non esset, si non daretur talis effectus, sed esset tota illa virtualitas ut nuper argumentabar, ergo præter eam requiritur aliquid aliud.

Solutio dubitatio-
num.

Ad primam, Respond. multas esse in Deo voluntates beneplaciti quæ sunt conditionatæ (ut dixi) neque tamen voluntas illa est conditio ad se ipsam, quia verbi gratia Deus dicit volo saluare omnes homines si velint consentire gratijs quas ego illis dare destinaui, non autem dicit volo saluare, si volo.

Ad secundam, Respond. voluntatem immediatè concurrere in ratione præcipientis sicut intellectus concurrat immediatè dirigendo, vnde concursus vtriusque immediatus est, sed in diuerso genere.

Ad tertiam, Respond. effectum formalem moralem facile posse intelligi per solum actum immanenter voluntatis vel increatæ, vel creatæ, quia moralitas non est aliquid producibile per veram actionem, sed resultat tantum posito aliquo extrinseco: denominatio autem physica noua, exigit formam physicam nouam ad quam necessaria est actio, notum autem est quod actio immanens non producit aliquid ad extra.

Deinde nego vllam esse denominationem intrinsecam nouam, quæ possit saluari per solum Dei decretum. Forma per quam aliquid durat, vel est in loco, est ipsa entitas rei quatenus coexistit loco aut tempori, posita conditione aliquâ præuiâ verbi gratia motu locali, vel creatione, vel etiam si velis posito decreto Dei terminato ad tale spatium, aut ad tale tempus; cum enim dicis potuit esse talis creatio Petri, esse talis locus, quin hæc creatio connotet talem locum & illi coexistat, ergo coexistentia, & connotatio est aliquid distinctum à tali loco, & à creatione; distinguo, est aliquid distinctum quod sit conditio ad talem denominationem concedo, quod sit forma denominans, nego. Quomodo autem de vnione non sit par ratio, alibi disputatum est.

SECTIO II.

De immutabilitate voluntatis diuina. Art. 7.

Mutabilis erit actus diuinæ voluntatis, si Deus in tempore possit velle aliquid, quod ab æterno non voluit, vel nolle quod voluit, quomodo autem cum libertate stare possit immutabilitas satis superius dictum est.

Tom. I.

Ratio autem dubitandi, quam latè proponit Herice d. 20. c. 2. ferè olim soluta est, cum agerem de concordia libertatis cum præscientia æterna Dei. Sic autem habet, omnis volitio libera in eo instanti temporis quo existit, prius natura potest non existere, actus enim non est liber nisi procedat à principio indifferente, quod nimirum prius natura possit non agere quando agit; sed si Deus est immutabilis non habet indifferentiam in vllò planè instanti, quo agit, ergo non est liber. Probo minorem, & sumo istud instans (B) in quo decreuit producere Petrum, si Deus in hoc instanti prius natura quàm velit creare indifferens est ad non volendum, Deus posset nolle id quod prius voluit; nam in instanti præcedenti iam voluit creare, sed hoc est Dei decretum esse mutabile: ergo si Deus est immutabilis non habet indifferentiam ad volendum & nolendum eo instanti quo vult, & idem argumentum fieri potest de quolibet instanti; prius enim, & prius voluit, ergo in nullo instanti reali Deus est liber, si est immutabilis, nam ut sit liber debet aliquando esse indifferens, & posse non velle, quæro autem in quo instanti possit non velle.

Neque dicas primò, Deum ab æterno posse non velle, & esse indifferenter.

Sed contra, esse ab æterno indifferenter, vel est semper & in omni instanti esse indifferenter, vel in aliquo tantum instanti, non primum, quia si est indifferens in omni instanti, ergo in isto nunc est indifferens, quod est falsum, quia sic posset mutare quod prius voluit: non secundum quia nullum est instans in quo non mutetur si est indifferens.

Neque dicas secundò, illam esse necessitatem solum ex suppositione quæ libertati non est contraria.

Sed contra, tunc suppositio tollit libertatem, quando illa nunquam tolli potest per libertatem, sed illa suppositio tolli nunquam potuit, alioqui Deus mutaretur, ergo tollit libertatem. Imò ex suppositione diuinæ immutabilitatis Deus non potest non velle nunc illa suppositio non pender à libertate, ergo ex suppositione necessaria Deus non potest non velle.

Neque dicas tertio, in omni instanti collectiue sumpto cum omnibus alijs, Deum esse indifferenter, ad volendum, vel non volendum, quamuis in isto instanti distributiue sumpto non sit indifferens.

Sed contra, in isto instanti sumpto collectiue verum est dicere, Deus est determinatus in instanti præcedenti, ergo si in isto est indifferens iam est mutabilis.

Dico primò, nullum est in Deo decretum quod æternum non sit sumptum adæquatè. Ita videtur notum esse lumine naturæ, quod tamen negare omnes tenentur qui putant actum Dei liberum essentialiter compleri per actionem extrinsecam, ut probaui qu. 2. si enim decretum Dei completur & constituitur intrinsecè per aliquid omnino extrinsecum Deo, siue illi sit effectus, siue causalitas, siue aliquid aliud productum in tempore implicat decretum illi Dei tunc esse actum, quando non est illud per quod constituitur essentialiter, effectus extrinsecus, & causalitas non sunt ab æterno, cum solus Deus æternus sit, ergo decretum non est æternum & ita expressè negat Herice disp. 20. c. 1. n. 7. in sententiâ verè, quam elegi nuper nullo negotio explicatur æternitas diuini decreti.

Ratio autem primò est, quia quidquid est futurum, ab æterno est futurum, sed nihil potest esse futurum, nisi præsupponat efficax decretum Dei, ergo omne Dei decretum est æternum. Maior probatur, quia omnis propositio de futuro, est ab æterno vera vel falsa, si enim res nunc est, ab æterno verum fuit dicere, quod tunc erit, vel non erit, ergo nihil est futurum quod ab æterno non sit futurum. Deinde
Q certum

Ratio dubitandi.

Triplex euasio.

Æternitas decretorum.